Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

nesciente illa quod esset muta. et uoluntatem
ipsius interrogans. utrum uelato capite permanere
uirgo an nuptiis tradenda esse uellet. matre ipsius
admonente quod sancte filia nulla daret ei responsa.
respondens mater dixit se non dimissuram filie manum.
nisi ei prius responsum redderet. Et cum eam secunda uice
interrogaret de eadem re: respondit sibi dicens. Non
aliud nisi quod tu uolueris agere uolo. Ac si postea ap
tiore sine lingue impedimento et soluto ipsius uin
culo sana loquebatur.

Ex quibus hoc eius dicimus opus in nullis multorum au
ribus antea inauditum scrupulum non moueret. Cum
hec animo esset intenta celestium meditacione
ut semper solebat suam de terrestribus ad celestia eleuans
conuersationem. quandam non paruam sed grandem lardi
partem cum cane dimisit. Et cum esset inquisita non ali
cubi sed in loco ubi esse solebat canis: mense transacto
intacta et integra reperta est. Non enim canis ausus est
comedere depositum beate uirginis. sed custos patiens
lardi et idoneus contra suum solitum morem diuina re
frenatus uirtute edomitus extitit. Crescente ergo cot
tidie miraculorum numero que uix enumerari pos
sunt. quantum misericordie et pietatis et in pauperes ele
mosinarum oportune et inportune postulantium
operata est. Nam cum aliquis indigens cibo pauperum
eam rogaret. illa ad eos qui carnes coxerant ut ab il
lis aliquid pauperi deferret festinauit. Tunc unus
illorum stolidissimus famulus qui carnes coxerant in
sipienter partem non dum carnis coctam in albatum ipsius
sinuatę uestis receptaculum transiecit. et sic illa non
suffocato mantili sed in suo candido colore manente
portans pauperi tribuit. Nec non et hoc de eius gestis felici
bus ammirari debet. Confluentibus enim ad eam undique
pauperibus et peregrinis ingenti fama uirtutum et nimie lar
gitatis tracti. accedens inter eos ingratus quidam
leprosus optimam de armento uaccam cum optimo uitu
lo omnium uitulorum simul sibi dari poscebat. Nec
ipsa eius audire preces distulit. sed mox quam optimam
dixerit de omnibus uaccam et alicuius uacce uitulum
elegantem et optimum rogatum infirmo uoluntarie
donauit. Et misericorditer suum cum illo transmittens
currum per iter longum et altissimum campum ne moles
tiam in uacca minanda infirmus longo fessus iti
nere sustineret. uitulum post tergum eius in currum
precepit mitti. et sic cum uacca lingua lingens et tamquam
proprium diligens nemine cogente usque ad loca destina
ta consecuta est. Videtis fratres karissimi quod et bruta contra con
suetudinem famulabantur ei animalia. Quodam de
nique interuallo temporis alii nequissimi fures. qui
nec deum nec homines uerebantur de aliqua prouin
cia ob latrocinium uenientes et per amnem grandem
facili meatu peditum egredientes boues ipsius furati
sunt. Sed eos eadem reuertentes uiam. impetus in
gentis fluminis inundatione aquarum subito

facta conturbauit. Nam flumen instar muri erec
tum scelestium bouum fraude beate BRIGIDE per se trans
ire non permisit. Sed eos furens dimergens et secum
trahens. boues de ipsorum manibus liberati: loris in
cornibus pendentibus ad presepia armentum ac bouilium
reuersi sunt.

Ecce et hic uirtus diuina apparet. Cum quo
dam ipsa sanctissima BRIGIDA cogente aliquo
utilitatis necessitate conuentionem plebis uisitaret.
in curru sedens in equis binis uehebatur. et cum
in suo uehiculo meditacione theorica. celestem
agens in terris uitam. suum ut solebat dominum corde in
oraret. de alto pendens loco alter brutto animo
equus saliens sub curru. et infrenatus habi
ens fortiter se extorquens. et de iugo semetip
sum absoluens equo altero solo sub suo remanen
te iugo exterritus per campestria cucurrit. et
sic manus diuina iugum pendens sine precio susten
tans. et uidente turba ob testimonium uirtutis diui
ne secura in suo orans uehiculo cum uno equo sub
curru posito ad plebis conuentionem discursu pla
cabili illesa peruenit. Signisque et uirtutibus suam confir
mans doctrinam sermonibus salutaribus et sale diuino
conditis plebem ortata est. Hoc etiam uirtutibus ipsius
uidetur nobis esse deputandum. Cum aper ferus sin
gularis et siluestris territus et fugitiuus esset ad
gregem porcorum. BRIGIDA in felicissimam et citius
cursu precipiti petiit. Quem ipsa eueniu inter suos
cernens benedixit. Postea uero inpauidus ac familia
ris cum ipsius permansit grege porcorum. Ecce uide
tis fratres quod bruta animalia et bestie sermonibus et
uoluntati eius resistere non poterant. sed domita et
subiecta ei famulabantur.

Nam cum aliquando aliquis inter ceteros ei
munera de longa ueniens prouincia offer
ret sues pingues. et alios secum missos ire ad suam
uillam quodam longo terrarum interuallo posi
tam rogaret ut ab eo sues acciperent. per longum
itineris spacium dierum trium uel quatuor ampli
plurium cum eos suos ministros transmisit. comi
tes. Transacto autem unius diei itinere in mon
te confinali regionum qui nuncupatur uocabulo
grabor sues suas quas in longinquas oppina
bantur esse regionibus obuias. contra se uenire alii
pis directas per uiam et coactas contemplati sunt. Quos
cum ille cicius errantes intellexisset suas esse cognos
cens sues proprias. et uideret agrestes lupi qui ob
maximam beate BRIGIDE reuerentiam de suis
maximis et campulis et latissimis ut idonei
pastores in coactis et minandis suibus laborabant.
aduenientibus missis relinquentes eas illesas
mirabili quidem hoc agentes intellectu. et in con
sueto more discesserunt. Et [illegible] sic [illegible]al
tero die hii qui missi fuerant cum suibus facto

¶ hic magnam laudem [illegible] circa cane[m]
dimisit qui uno mense illud non tetigit sed
custos integrum inuentum est et resumptum.
¶ quod unus bullicione carnis decolla [illegible]
in sinum uestis eius lineę proiecit quod [illegible]
[illegible] et dedit non uestes fedata fuit.
¶ Item [illegible] leproso de grege uaccam dedit et
[illegible] cum [illegible] [illegible] [illegible].
¶ fures boues ipsius furati sunt et [illegible] flumen
[illegible] quia diuina uirtute iterum redire
[illegible] sunt ymo [illegible] adipsam [illegible]
adducente

¶ hic currus sine equo suffragio
duxit eam ad locum [illegible] di-
uina ad quem uenire uolebat.

¶ hic aprum siluestrem benedixit
et cum suo grege remansit [illegible]

¶ hic credo quod precepit sues
ire per plures dietas sine
ductore ad domum [illegible]
[illegible].